Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1759

Quelle:
Copyright:



*erit de purgatorio, quod aliqui tenent purgatorium post hanc vitam. Et tamen christus non precepit apostolis suis predicare purgatorium post hanc vitam* &c. Ex quo adparet, pertinere *Codicem* ad *Hussi* tempora et *Bohemiam*, id quod multa passim insperſa illius Gentis idiomate confirmant.

## CCCCXLIX.

944 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 259. 8. non unius manus Congeriem Scriptorum offert, quae ordine suo indicabimus. I. *Incipiunt articuli Sinodi generalis Cleri Regni Boemie celebrate Anno domini M° CCCCXXXIIII° in festo sancti Jacobi Apostoli in Ciuitate Inclita pragensi.* Nec *Cochlaeus*, neque *Lupacius*, aut *Pelzelius* hujus *Synodi* meminere. Init: *In primis pio et fideli corde credimus, et integra mente credendum et asseuerandum affirmamus* &c. Itaque de Scripturis sacris, de Symbolis, de *quatuor* suis notis *Articulis*, ubi de utriusque Speciei usu additur: *etiam si prelati dissenciant, licite faciunt*; de septem Sacramentis, Missa, Suffragiis Defunctorum, Purgatorio, &c. Paene omnia ad mentem Ecclesiae Rom. Cath. et dirigente, ut videtur, *Rokyczana* constituta. Inter alia votum exprimitur de Festo *Dedicationis* omnium totius Regni Ecclesiarum una eademque die celebrando.

II. *fol.* 8. Compactata *Iglavienſia* Regni *Boh.* et Legatorum Concilii *Basil.* anni MCCCCXXXVI. Cum aliis monumentis ad ea pertinentibus, ut extant in *Leibnitii Mantissa Cod. Diplom.* P. II. p. 138. et magnam partem *Cod.* nostro DCCCCLXVIII. Hic vero praescribuntur: *Forma literarum in quibus inseruntur compactata sigillata et expedita Iglawie, et primo dominorum legatorum.* Initium: *Nos Philibertus* &c.

III. *fol.* 30. p. 2. Congeries prolixa Autoritatum Scripturae, PP. et Doctorum pro Communione tam sub utraque, quam Infantium, hoc initio: *Primum probat eam lex diuina de Manna et aqua* &c. Posterior est haec Congeries aliis saepius relatis, et praevie ante illam ad *Indicem in Egra* (1432) *condictatum* appellatur.

IV. *fol.* 73. p. 2. *Caroli* IV. Rom. Imp. et R. Boh. Diploma de institutione Studii generalis *Pragensis*. Adi *Cod.* paulo ante *cit.*

V. *fol.* 75. *Articuli Boemorum et Morauorum regi W.* (Wladislao II. Hung. et Boh.) *presentati Inde autem ad dominum sedis apostolice legatum* (Thom. Bacocium Card.) *Budam missi Anno christi 1502.* Insistunt, ut *Compactata Basil.* observentur praecipue circa utramque Speciem, Communionem Parvulorum et Cantum ecclesiasticum in lingua vulgari. Initium: *Optamus quemadmodum litere executorie* &c.

VI.